



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Tarentasien. Archiepisc.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

* In sermone Col-
leif. in tantum
occulta

nolumus relaxari; nec etiam si præsumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habeat firmitatis; ne forte post tempora nostra falsitas * interim occultata cuiquam valeat præjudicium generare. Ceterum, ad majorem illius notitiam falsitatis habendam, ut fieri possit Bullæ falsæ cum nostra collatio, præsentibus literis unam de Bullis falsis cum vera Bulla duximus appendendam; districtius injungentes ut quascunque literas inveneritis hac vel alia falsitate notandas, si quid actum fuerit occasione illarum, appellatione postposita irriteris; ita quod hujusmodi falsitas nullo temporis spatio valeat excusari, & portitores earum tamdiu faciatis sub arcta custodia detineri, donec receperitis super hoc nostræ beneplacitum voluntatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIV. Kalend. Iunii, pontificatus nostri anno primo.

In eundem modum scriptum est super hoc universis Archiepiscopis & eorum Suffraganeis singulariter.

MAGDEBURGEN. ARCHIEPISC.

Epist. 236.
Vi Ducem Sueviae cogat Angliæ Regi ablatam pecuniam restituere.
Vide supra epist. 230.

IN eo sumus officio disponente Domino constituti ut singulorum & omnium saluti consulere debeamus, & universis petentibus, tam majoribus, quam minoribus, in executione justitiæ providere. Sanè quàm potenter & magnificè carissimus in Christo filius noster R. Illustris Rex Angliæ se ad obsequium Domini in partibus transmarinis habuerit, ita ut nec rebus suis pepercerit nec personæ, sed se ipsum multis & variis discriminibus pro exaltatione Christiani nominis exposuerit, quàmque graves & enormes injurias & jacturas ab H. quondam Imperatore pertulerit inde revertens, per totum ferè orbem fama notissima divulgavit. Quæ res tanto profundius Romanam tangit Ecclesiam, quanto injuriæ & gravamina Regi eidem illata in ejus ignominiam & injuriam noscuntur gravius redundare. Quia igitur tam gravem Domino & apostolicæ fedi necnon & ipsi Regi injuriam irrogatam salva conscientia dissimulare non possumus, nec debemus; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus nobilem virum Ducem Sueviæ, ad cujus manus thesaurus præfati Imperatoris pervenit,

& patrimonium ejus vel jure successionis vel faltem tutelæ nomine noscitur devenisse, diligenter admoneas & quàm efficacius poteris procures inducere ut eidem Regi de ablata pecunia satisfaciatur competenter. alioquin noverit quod nos tantam injuriam non poterimus sub dissimulatione transire, quin in eum & terram ejus nostri officij debitum, sicut justum fuerit, exequamur. Datum Romæ apud sanctum Petrum, II. Kalend. Iunii.

TARENTASIEN. ARCHIEPISC.

INter alias petitiones tuas postulasti nuper à nobis quod circa incendiarios absolvendos, qui non possunt ad sedem apostolicam proficisci, tecum dispensare vellemus ut eis posses absolutionis beneficium impertiri. Nos ergo, quia personam tuam sincera caritate diligimus, auctoritate tibi præsentium duximus indulgendum ut illos incendiarios absolvere tibi liceat usque ad triennium qui propter ægritudines aut inimicitias capitales se non possunt nostro conspectui præsentare. Appellationibus quoque, quas parochiani tui vel diocesani Episcopi tuum volentes iudicium declinare, frustratorè interponunt, nolumus te deferre. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. V. Kalend. Iunii, pontificatus nostri anno primo.

EVERARDO NITRIEN.
Episcopo.

IVstis petentium &c. usque ad verbum assensu, Statuimus ut quascunque possessiones, quæcunque bona Ecclesia Nitrien. in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi & per te Ecclesiæ tuæ & illibata permaneant. Prædicia quoque ad Ecclesiam tuam diocesana lege spectantia, quæ propriis laboribus excolis, à solutione decimarum eximimus; nec aliquis de laboribus tuis ausu temerario decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. Kalend. Iunii.

¶

Epist. 237.
De incendiariis absolvendis.

Epist. 238.
Ve oblata Ecclesiæ bona retineat, & de prædiis que ipse colit, decimas non possolvat.